

A 231  
4

oo  
Lis.

Hist.

III. C. 3.

aa

25

A. S. N.  
DE  
INAUGVRATIONE  
SEV  
BAPTISMO CHRISTI

AD MATTH. III. v. 13-17.

QVA PARTEM PRIMAM  
INTER COLLEGII NOSTRI ACADEMICI  
FELICITER EXSTRVCTI  
INAUGVRATIONIS SOLENNIA  
IN AVDITORIO MAJORI  
DIE IV. MAJI A. R. S. MDCCL.  
PVBLICE DISSERENT

PRÆSES  
GEORGIVS GVILIELMVS OVERKAMPF  
LL. OO. PROF. REG. ORDIN.  
ET RESPONDENS  
IMMANVEL HIMMELBERG  
*Theol. Stud. Hallandia-Svecus.*

---

GRYPHISWALDIÆ TYPIS STRUCKIANIS.

10


INAVOVARATIONE  
BAPTISMO CHRISTI

AD MARTIN H. S. G. S. S.  
OVA PARTIM PRINAM  
INTER COLLEGIUM NOBILIUM ACADEMIAE  
INAVOVARATIONE BAPTISMO  
IN AVIATIONE MAIORI  
DIE IN AVIA A. S. S. S. S.

GEORGII GUILIELMI GYMNASII  
HANNIBEL HINDELBERG

LEIPZIGIENSIS A. S. S. S. S.





## PRÆLOQVIUM.

**¶** Publicam ac maxime solennem fuisse, quæ  
**¶** Mosi obtigit, inaugurationem, cum spe-  
**¶** stante tota ingenti populi Israelitici mul-  
titudine, divinæ voluntatis interpres, ad radices  
montis Sinai, cœlitus confirmaretur, nemo facile  
diffitebitur. Vidit enim ibi populus Israeliticus  
fulgura & tonitru, audivitque ipsum Deum lo-  
quentem; precatus propterea, ut Moses loqueretur  
cum ipsis, non autem audirent amplius Jeho-  
vam secum loquentem. Ast quanta quanta fuit  
ac cogitari potest hæc Mosaica, quam Judæi ex-  
tollunt, inauguratio, multis tamen parasangis  
eam post se reliquit solennior inauguratio pro-  
phetæ, qui non modo par, sed & major Mose  
esse debebat Deuter. XVIII. v. 15-18. innuo majorem  
ac solenniorem Christi ad Jordanem, ad officium  
propheticum & mediatorium inaugurationem: quo  
major enim persona inauguranda, eo solenniorem  
quoque inaugurationem fuisse convenit, oportet. Hinc pater ipse insigni phœno-  
meno

## II.

meno de cœlo proclamabat : *hic filius meus unice dilectus est, & in quo mihi singulariter placeo, ipsum audite, meæ mentis interpretem*, tertiaque deitatis persona, visibili columbæ specie sese manifestabat, ut summum huncce Dei ad homines legatum, quo majorem mortales haud viderant, Ebr. I, 1. ad officium ungeret, riteque ad illud subeundum inauguraret. Equidem non indiguit, summus hic a Deo in salutem humani generis missus Propheeta, confirmatione ulla, ad pernosendum, se a patre suo ad officium propheticum & mediatorium in hunc mundum missum esse, quippe de quo ille pridem jam certissimus erat, Luc. II, 49. 50. Joh. IV, 34. VI, 38. 39. XVI, 28. verum homines tunc temporis, præcipue populus judaicus, cui dudum hic propheta promissus erat, hac informatione opus habebant; simile exemplum vide Johan. XI, 42. XII, 30. Quare etiam Lucas Evangelista cap. III, 21. 22. ait: accidisse hanc solemnem de cœlo proclamationem, cum totus populus baptizaretur, adeoque ingens testium *αυτοπτῶν καὶ ἀκηκόων* copia præsto esset, qui & oculis viderint cœlos ruptos, Spiritumque in Jesum descendentem, & audiverint vocem cœlitus sonantem, quo visis auditisque his, flecterentur in piam admirationem, promptamque Messîæ sequelam; hinc servator ad hanc solemnem apud Jordanem inaugurationem,   
vocem-

vocemque patris e sublimi de semet testificantem, quam sapissime provocavit, Joh. V, 32. 37. VI, 27. VIII, 18. XII, 28. Universale enim fuisse & hoc *ἔραυα*, non obstante Joh. VII, 37. nec minus præsentes omnes verba ista divinitus promulgata audivisse, istorumque sufficienter percepisse valorem, non minus ex scopo gloriosissimæ hujus revelationis, quam reliquis omnibus circumstantiis luculenter patet. Nostri instituti haud patitur ratio, in huncce jam excurrere campum; præsertim cum contra Lightfootum, eruditissime & solide id probaverit b. DANZIUS in Tract. cui titulus: *Inauguratio Christi ad docendum haud obscurior Mosaica &c.* Nobis tantum sumimus pericopen hancce evangelicam, quam a præsentis, quod agitur, inaugurationis instituto, haud abludentem judicavimus, exercitii academici ergo, observationibus nonnullis philologico-exegeticis illustrare, ac publico *Φιλολογικῶν* examini subicere. Faxit Deus Ter Optimus Maximus, ut non minus festa inaugurationis novæ ædis academicæ feliciter exstructæ sacra, quam conflictus hicce disputatorius, inter ipsa basilicæ academicæ noviter ac magnifice exstructæ inaugurationis solennia institutus, cedant vergantque in summi ac optimi Regis nostri Messia, quem pater ipse glorificavit, honos, decus ac glorificationem.

DE  
INAVGVRATIONE  
SEV  
BAPTISMO CHRISTI

ad Matth. III. v. 13-17.

Verf. 13.

Τότε παραγίνεται ο Ιησους απο της γαλιλαιας επι τον Ιορδανην προς τον Ιωαννην, τε βαπτισθηναι υπ αυτη.

τοτε παραγίνεται ο Ιησους) Respicit temporis particula *τοτε* ad auspicia muneris præparatorii, quo Johannes baptista, Messiaë præcursor iam per aliquot menses inter Judæos functus erat. Placuit enim divina sapientia, ut ante ipsum Messiaë summi regis adventum, præco adventum ejus annuncians, Judæosque ex alto, quo sopiti erant, somno excitans anteiret viamque Domino pararet. Cum jam itaque hicce primus Novi Testamenti Doctor, in jordane baptizans, sicque in officii sui partibus rite explendis, docendo & baptizando, occupatus populares suos præcipue, ut ad denunciatum Messiaë adventum rite sese componerent, enixe ac serio hortaretur, tunc ipse Jesus, non jam alieno testimonio, sed sui ipsius virtutibus sese declaraturus, qualis & quantus esset, *accedit*, ac quia tempus, quo munus ipsi propheticum subeundum erat, advenerat, non amplius latere, sed in publicum prodire, munusque a patre ei concredidit, (trigesimus jam levitici etiam muneris ingressui sanctus Num. IV, 23. 47. a nativitate ejus numerabatur annus Luc. III, 23.) adgredi cupit. (\*) Reliquit igitur Jesus patris negotium acturus Luc. II, 49. Galilaam & præcipe Nazareth,

(\*) Ventilari hic posset quaestio, cur Jesus anno demum ætatis suæ trigésimo doctoris publici munus aggredi voluerit? at vide quæ doctè nuper hac de re commentatus est J. J. CHRYSANDER in peculiari diacrisi superiori anno Helmstadii in lucem publicam emissâ, tractans quaestionem: *cur Jesus anno demum ætatis suæ XXX. doctoris publicæ munus aggressus sit?* quam Auctores relationum Hamburgens. Num. 23. p. 181-83. recensent.



reth, in qua privatam hæctenus vitam, suis parentibus subiectus Luc. II, 51. transegerat, ad Jordanem properat, ut in magno ibi hominum concursu, qui suscipiendi baptismi causa aderat, legitime ac solenniter a patre cælesti ad officium publicum vocaretur ac inauguraretur; quam rem ideo, tanquam oppido memorabilem Evangelistæ unanimi consensu tradidere. At merito hic nobis prædicanda quoque est, singularis ac plane eximia Jesu Christi comitas & *συγκαταβασις*, quod non coacte sed libere, non ex officio sed sponte, nostri causa, non sua, venire ad Johannem voluerit, ut ministerium Johannis Judæis commendaret, ipsoque factò comprobaret.

απο της γαλιλαιας ) Voluit fervator optimus regionem, quæ in Galilæam gentium, in qua sita erat Capernaum, & alteram Galilæam quæ ultra lacum erat, dividebatur, tum sedem commorationis suæ ante officium publicum capeffendum eligere Matth. XXI, II. XXVI, 96. tum post susceptum munus, cælestis doctrinæ suæ luce primum collustrare Luc. IV, 16. 23. 31. 44. XXIII, 5. 6. XVII, 22. Actor. X, 37. 38. Ultra citroque docendi & benefaciendi ergo obambulare eam Joh. IV, 3. 47. VI, 1. VII, 1. 9. tot laboriosas per eam peregrinandi recipere necessitates, & sic præsentia, doctrina & miraculis, quæ copiose ab eo patrabantur, præ ceteris egregie illustrare; idque partim ut implerentur, quæ vaticinio spiritu affectus prædixerat Esaias cap. IX, 1. sqq. partim quoque ob commoditatem portuum, & aliquot celebres civitates in littore sitas, quæ ob commercia negotiationum a longinquis etiam frequentabantur, ex quibus adeo commode & exquisitior fama doctrinæ, factorum & miraculorum ejus dimanare ac spargi poterat, unde haud abs re Marc. I, 28. dicitur: *ἐξῆλθε τε η ἀκουη αυτε συβειως εις ολην την περιχωρον της γαλιλαιας*; pluribus hoc argumentum exsequutus est b. JOHAN. FRANC. BUDDENUS in peregrudita disertat. *de Galilea rebus gestis & miraculis Christi elara*, Jenæ 1718. habita; quæ de regione ipsa hic in medium adferenda essent, hauriri possunt ex HADRIANI RELANDI *Palæstina lib. 1. cap. XXXI. p. 180. seqq.* alibique passim.

ἐπι τὸν Ἰορδάνην ) Minime Johannes ob magnalia, quæ Deus olim in aquis Jordanis fecit, tempore Josuæ, ubi fluente Jordanis viam in terram Canaan aperiebant Jos. III. Eliæ 2. Reg. II, 8. & Eliæ 2. Reg. V, 14. ut omnium horum miraculorum figuram impleret, ejus aquis uti maluisse quam aliis putandus est; sola enim loci opportunitas eum eo invitavit Joh. III, 23. Nec quoque, eo quod Johannes his aquis ad baptismum usus, & ipse Christus illic tinctus est, Jordanem, præ quovis alio loco, idoneum esse baptismi, quæ nonnullorum primorum seculorum fidelium opinio fuit, censendum erit. Præcipue Constantinus M. in ea opinione versatus fuit. Distulit is christianorum sacris jam addictus baptismum suum donec ad Jordanem pervenisset. Cum sibi viderentur maturare ultima, iter eo ingressus quidem est, sed morbo invalescente subsistere coactus est Nicomediæ, ubi ab EUSEBIO *Nicomediensi Episcopo*, Arianorum primicerio baptismum accepit. At inter nævos sanctorum id referendum erit. Ut tota terra nunc Deo sacra, 1 Cor. X, 26. ita omni loco adorari Deus vult Joh. IV, 23. 1 Tim. II, 8. Quæ ceteroquin de Jordane primario terræ sanctæ fluvio, scitu cognituque jucunda pariter ac necessaria sunt, vide apud laudatum RELANDUM l. c. cap. XLIII, p. 271 seqq. addantur quoque quæ habet Rintelenhis academiæ decus BALTHASAR LUDEWIG ESKUCHE in *Erleuterung der heil. Schrift aus Morgenländischen Reisebeschreibungen* pentamine quarto p. 144. seqq.

τὴ βαπτισθῆναι ὑπ' αὐτῆς ) Non minus inexpectata Johanni hæc erat petitio Christi quam adventus ejus. Qui solus omnium nulla peccati labe contactus fuerat, imo qui solus mundi peccata tolleret, velut peccator adit Johannem, baptismum ab illo flagitat. Longe alia autem baptismi Christi & nostri fuit ratio. Exoptatissimus mundi salvator solus omnium sanctus Luc. I, 35. 1 Pet. II, 22. ἀμικτός καὶ ἀχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν per se lavaeri hujus haud indigus erat. Non itaque ex necessitate, ut a peccatorum fordibus, ad regenerationem & renovationem, purgaretur, baptismum suscepit, sed uti libere circumcissionem sustinuit, Gal. IV, 4. sic gravissimis quo-

quoque rationibus, quas in principales & secundarias dispe-  
scere solent, adductus, tingi voluit. Illarum prima, non est  
fui, ut sanctificaretur, sed nostrum fuit causa Joh. XVII, 19.  
ut ab hominibus suscipiendum baptismum, Novi Testamenti  
initiationis sacramentum, sanctificaret in lavacrum regenera-  
tionis & renovationis Tit. III, 5. Eph. V, 26. 27. ad diluenda  
peccata, quo fieret baptismus medium participationis sui meriti  
Galat. III, 27. & effusionis spiritus sancti Tit. III, 5. ideo ipse  
foedere baptismali initiari voluit. Altera fuit, ut totius mundi,  
quæ ut agnus Dei Joh. I, 29. 1 Joh. II, 2. Esa. LIII, 4-6.  
2 Cor. V, 21. portabat peccata & crimina, in Jordane ablueret  
& sepeliret Coloss. II, 11. 12. Ad minus principales referri  
poterit, ut baptismum Johannis comprobaret, ut testimonium  
consequeretur de cælo Joh. I, 33. V, 37. ac instar pontificum  
& cæterorum vet. Testam sacerdotum initiaretur Exod. XXIX,  
4. Levit. VIII, 6. summus hicce Novi Testamenti pontifex  
Hebr. IX, 11. Joh. I, 31. cujus inauguratio ad munus media-  
torum haud inferior fuit illa Mosaica, quam Exod. XXIX, 4.  
consignatam legimus. vid. b. Andr. Danzii tr. antea laudatus  
§. 5. pag. II.

Vers. 14.

Ο δε Ιωαννης διεκωλυεν αυτον, λεγων. Εγω χρεϊαν εχω υπο σε βαπ-  
τισθηναι, και συ ερχη προς με.

Ο δε Ιωαννης, διεκωλυεν αυτον ) Præpositio *dia* intendit hic  
significationem simplicis. Nihil in omni ministerio Johannis  
gloriosius ei contingere potuisset, quam quod baptizari ab ip-  
so dominus voluerit. Non tale quid in mentem venire potue-  
rat Johanni, ut, qui *αγιος* ipsaque puritas & sanctitas erat,  
baptismum, quod est sacramentum pœnitentiæ & remissionis  
peccatorum, sibi conferri expereret; serio itaque & manu  
quasi injecta, licet mente humili & deuota baptismi collatio-  
nem amoliebatur Johannes. Neminem a baptismo hactenus  
arcuerat, potius graviter ad digne suscipiendum baptisma ad-  
monuerat, multo minus dixerat ad aliquem *εγω χρεϊαν εχω υπο  
σε βαπτισθηναι*: jam vero cum, dispensante summi numinis  
sapientia & providentia, baptista, quem virum pium & ab omni  
furo

## VIII.

fuo alieniffimum hætenus experti erant, obnixè Jefum prohiberet, omnes qui aderant, facile intelligere poterant, non nudum hominem communi peccati labe inquinatum, hunc effe baptifmi candidatum, fimulque populus ad eo melius divinum, quod mox in fequebatur, oraculum digne percipiendum, promtumque & debitum dudum expetito humani generis redemptori obfequium præftandum, moneri & præparari inde poterat debeatque.

Manifestum porro eft, prohibitionem a Johanne factam fatis arguere, baptifmam ftatim fub adventum Mefiæ cognitum perfpèctumque habuiffe, quis quantufue is effet, qui nunc baptizari cuperet. Difficultas hinc oritur interpretibus, quomodo hæc concilianda cum ipsis baptifmæ verbis Johan. cap. I, 33. 34. obviis, ubi ait, fe ante fignum præbitum per Spiritus in Chrifto defcenfum, ex quo pernofceret ipfum, non noviffe Chrifto. Ut emergant ex hac difficultate interpretes, confugiunt ad fpiritus divini *ελλαμψν* internamque manifestationem, ex qua (intra uterum adhuc maternum conclusus jam fatu lætabundus exeperat ipfum) Johannem utique venientem ad baptifma Chrifto cognoviffe ajunt, hanc vero de Chrifto cognitionem per externum ac publicum hocce fpectaculum infigniter confirmatam ac corroboratam effe, ad quod ideo confidentius quam ad fuggestionem Spiritus internam, quam forte in dubium vocare potuiffent, provocavit, quod circa publicum hoc *οραμα*, ob teftium multitudinem, non æque poterant. Nec facile jure quid in hac fententia, cum allata verba Johan. I, 33. 34. de cognitione quoad faciem contractaque inter eos familiaritate, quæ fapienti Dei confilio hætenus intermiferat, aperte loquantur, defiderari poffe magna interpretum nubes ftatuit. Sed aliam plane viam ingreffus eft GOTTFRIED OLEARIUS in *obfervat. facr. ad evangelium Matthæi obf. 10. §. 1-8.* ubi allatum dubium ex Grammatica componendi prolixam navat operam; cui tamen fententiæ Olearianæ, fi fatendum quod res eft, multum coacti, plusque ingenii quam veritatis inefse deprehenditur.

99 A 6988

ULB Halle

3


002 843 919



ursprüngl. Stk. 1 nicht gezählt, da  
Teil nicht zu ermitteln

17  
18

2. Nov





Farbkarte #13

B.I.G.

A. S. N.  
 DE  
 GVRATIONE  
 SEV  
 MO CHRISTI

MATTH. III. v. 13-17.

ARTEM PRIMAM  
 LEGII NOSTRI ACADEMICI  
 CITER EXSTRVCTI  
 RATIONIS SOLENNIA  
 VDITORIO MAJORI  
 MAZI A. R. S. MDCCL.  
 BLICE DISSERENT

PRÆSES  
 VILIELMVS OVERKAMPF  
 DO. PROF. REG. ORDIN.  
 ET RESPONDENS  
 VEL HIMMELBERG

Stud. Hallandia - Suecus.

LDIÆ TYPIS STRUCKIANIS.

